



CLASSIQUES
GARNIER

« *Jonas propheta* (1545) », *Sébastien Castellion : des Écritures à l'écriture*, p. 453-473

DOI : [10.15122/isbn.978-2-8124-0925-7.p.0453](https://doi.org/10.15122/isbn.978-2-8124-0925-7.p.0453)

La diffusion ou la divulgation de ce document et de son contenu via Internet ou tout autre moyen de communication ne sont pas autorisées hormis dans un cadre privé.

© 2013. Classiques Garnier, Paris.
Reproduction et traduction, même partielles, interdites.
Tous droits réservés pour tous les pays.

JONAS PROPHETA (1545)

C'est à son ami, le médecin Barthélemy Argentier que S. Castellion dédia ce poème, sorti des presses de Jean Oporin à Bâle en septembre 1545, comme l'indique le colophon. Le volume renfermait, outre ce poème latin, une longue pièce en vers grecs consacrée à Jean-Baptiste, le *Prodromos*, ainsi que le cantique de Moïse (Ex 15), remis en vers¹. Bien des conjectures ont été faites sur la composition de cette paraphrase du petit livre de la Bible. F. Buisson le considérait comme un poème de jeunesse, marqué par le goût de l'imitation des classiques. Nous en éditons ici l'intégralité².

L'histoire de Jonas fait l'objet d'une nouvelle adaptation dans les *Dialogues sacrés* que Castellion rédigea pour faciliter l'apprentissage du latin. Il choisit la scène de la tempête pour mettre en scène un dialogue enlevé et amplifie le texte biblique en imaginant les scrupules des marins païens qui doivent, pour faire cesser la tempête, jeter Jonas à la mer et qui finissent par reconnaître la puissance du Dieu unique³. (MCGG)

JONAS PROPHETA, HEROICO CARMINE
LATINE DESCRIPTUS,
SEBASTIANO CASTALIONE AUTORE
ITEM

Prodromos, sive Præcursore, id est, Vita Joannis Baptistæ, Græco carmine heroico reddita, libris III, ita eleganter, ut linguæ Græcæ ac pietatis ex æquo studiosis, nihil possit esse lectu jucundius.

Cum gratia et privilegio ad quinquennium
Basileæ

-
- 1 Le texte qui fait l'objet d'une étude de B. Mahlmann-Bauer dans le présent volume, est édité par ses soins *infra*.
 - 2 Édition réalisée sur l'exemplaire de la BSHPF, cote Rés 4° 2036. Le texte figure aux pages 3-29 de l'exemplaire.
 - 3 Édition réalisée sur l'exemplaire de la BSHPF, cote 8° 15927 R. Le dialogue figure aux pages p. 146-150 de cet exemplaire.

- [3] Fatidicum canimus vatem, qui tristia summi
 Jussa patris fugiens, immensa piscis in alvo
 Conditur, et superis triduo post redditur auris,
 Et tandem Ninivæ fert aspera dicta superbæ.
 Tu mihi, qui cœli stellantia templa gubernas,
 Quique maris magni, tempestatumque potens es,
 Vela per Ægæum ventis impelle secundis,
 Optatosque rudi navi da tangere portus.
 Est in littoreis Judææ finibus alto
 Joppe tunsæ salo, quas olim Dania partes
 Obtinuit pubes, duodenæ munere sortis,
 Cum genus Abrahami Cananæa capesseret arva.
 Quam perhibent urbem, cum totum fluctibus orbem
 Perlueret genitor, sævis durasse sub undis.
 Huc Jonas fugiens non mollia jussa Tonantis,
 Venit, et in navem pacta mercede receptus ;
 In Cilicum fines pelago properabat abire :
 Cum pater omnipotens cœli de vertice summo
 Despiciens undas, vidit ducentia Jonam
- [4] Carbasa, et irato secum sic pectore fatur.
 Ergo nostra fugit fluctus mandata per atros,
 Seque putat nostras (liceat modo tangere Tarsum)
 Evasisse manus : nimirum dura jubemus,
 Et piget auriculas mordaci radere vero.
 Demens ah nimium, qui non vitabile numen
 Vitat, et in stimulos calcem jacet improbus acres.
 Non ita me novit Balamus, quem barbarus ille
 Nunquam muneribus potuit corrumpere tantis,
 Quin gentem diris fatalem lædere votis
 Jussus in innocuum diras converteret omen :
 Quamvis non nollet regi parere superbo,
 Nonnihil indulgens tantæ mercedis amori.
 Illum ego cogebam, stimulos sub pectore versans,
 Acres, invitum fari quæ dicere nollet.
 Et me nunc fugitans Jonas, sibi tuta putavit
 Alta, potestati quasi sint impervia nostræ.
 Jamjam faxo sciat, tempestatesque notosque
 Imperio parere mero, nusquam caveri

Posse, manu totum qui circumplectitur orbem.
 Hæc ait, et ventis laxas immittit habenas,
 Et jubet inflari pernicibus æquora flabris.
 Illi continuo liquidum per inane feruntur,
 Invaduntque maris crispantia flamine terga.
 Et primum fluctus surdo cum murmure sese
 [5] Paulatim tollunt : jamjamque magisque magisque
 Insurgunt, donec vertentibus æquora ventis,
 In cœlum rupti montes tolluntur aquarum,
 Et reteggit fulvas immanis hiatus arenas.
 Coguntur nubes, ignis micat æthere creber,
 Intonat horrendum cœlum, incubat atra mari nox,
 Jactaturque feras, jamjam solvenda, per undas
 Navis, et admittit laxis compagibus imbrem,
 Exitiumque viris tempestas triste minatur.
 Continuo nautis torpescunt membra timore,
 Et fugiens sanguis pallentes deserit artus.
 Ingemuere viri, tensisque ad sidera palmis,
 Auxilio implorant superos, geminantque querelas.
 Hic vocat insanum Nereum, vocat ille gemellos
 Ab Jove prognatos : alius Jove pendet ab ipso.
 Quisque suos, tanto pressus discrimine rerum,
 Poscit opem divos, et numina surda fatigat,
 Numina mens hominis quæ veri nescia finxit.
 At non undi sonum precibus mare flectitur ullis :
 Sævité, et insano vexat molimine navem.
 Et nunc sublimem tumidis suspendit in undis,
 Nunc depressam alto flavis afflictat arenis.
 Hæc miseros cogit tempestas, pondere navem
 Exonerare gravi, et lucro præferre salutem.
 Fit jactura, natant merces, rapidisque feruntur
 [6] Fluctibus, et dives mersatur gurgite gaza.
 Interea Jonas, aliis trepidantibus, unus
 Inferiore ratis securus parte jacebat,
 Ignarusque mali, cœlestia munera somnos
 Carpebat, toto proflans ex ore soporem,
 Quem tanta rerum turbatus mole magister
 Excutit e somnis, et tali voce profatur :
 Heus homo, quid tantum juvat indulgere quieti ?

Sævit hyems, et nos cum tempestatibus atris
 Luctamur, tristi superos clamore vocantes,
 Tu quasi tranquillo pelago, cœloque quiescis,
 Nec secure vides quantis jactere periclis.
 Quin potius querulo præsentis numen adoras
 Ore dei, si quem colis, observasque deorum,
 Si qua forte salus superis luceat ab oris.
 Omnes tentandi summo discrimine divi.
 Sic ait. at nautis (nam sic deus ipse monebat)
 Sortibus est visum tanti conquirere causam
 Motus, et læsi scitari numinis iram.
 Est aliquis nostrum certe, qui sanguine dextram
 Innocuo tinxit : vel qui pulsare parentes,
 Alteriusve viri potuit fœdare cubile.
 Quicquid id est, magnum est, superos nec crimina parva
 Irritant adeo, cunctis ut tristia conflent
 Funera, navigio quotquot portamur eodem.
 [7] Hæc nautæ, hæc uno cuncti simul ore fremebant.
 Nec mora, sors jacitur, miserum quæ crimine Jonam
 Accusat, justasque jubet persolvere pœnas.
 Illi continuo, quæ nam sit culpa profari
 Hortantur, quod nam ob facinus sic ira deorum
 Arserit, aut qua sit patria, quo sanguine cretus,
 Quid ferat, aut quo nam se conferat, unde profectus.
 Tum demum vates, ubi plane cernit ademptum
 Effugium, tales mœsto dedit ore loquelas :
 Jamjam nulla fugæ spes est : hic vera fatebor,
 Nautæ : vos animis vestris mea dicta tenete.
 Non dubito, vestras quin se penetrarit in aures
 Hebrææ nomen gentis, quæ ducit ab alto
 Abrahamo magni generis primordia parva,
 Solaque cœlicolum sincere numen adorat.
 Hac ego sum vobis ortus de gente, Jovæque,
 Cui mare, cui tellus, cui magnus servit olympus,
 Cultor, et interpres, populis venientia pando.
 Atque utinam potius summo parere Tonanti
 (Dura licet mandata forent) mens læva tulisset :
 Non ego nunc pelagi sævis agitarer in undis,
 Nec culpam infelix tam dira morte piarem.

- Sed sero sapitur, cum nil sapientia prodest.
 Est urbs, Assyrio colitur quæ maxima regno,
 Quam Niniven dicunt (antiquus condidit Assur)
- [8] Dives opum, studio malesuadi perdita luxus,
 Huc me cœlicolum non mollia jussa ferentem
 Jusserat ire pater, qui pravæ crimina vitæ,
 Quorum jam fama celsus pulsatur olympus,
 Reprimerem verbis, et tristia fata minarer,
 Ni maturarent sceleratos ponere mores.
 Ast ego, vitarem qui vates esse malorum,
 Constitui longe diversas quærere terras,
 Et Cilicum fines, Tarsumque venire per undas.
 Heu nihil invito fas quenquam fidere cœlo.
 Demens, qui fugiam imperium patris omnipotentis,
 Cujus vasta manu cingatur machina mundi.
 Hoc crimen nautæ tanto nos turbine versat,
 Hoc propter tantas superum pater arsit in iras :
 Poscor ego ad pœnas, et vos contagio lædit.
 Sic ait, at nautis jamdudum horrescere membra,
 Insolitusque tremor totum pervadere corpus,
 Ut didicere patris fugientem jussa potentis.
 Ergo solliciti quid agant, scitantur ab ipso :
 Si tua culpa nocet nobis insontibus una,
 Insontesque premit nimium vicina mali vis,
 Dic age (nanque potes, nec te immortale Tonantis
 Consilium fallit) quanam ratione piari
 Culpa queat, quid te fieri te iudice possit,
 Quo deus irasci, quo fervere desinat æquor,
- [9] Ne cum re vitam rapidis ponamus in undis.
 Sic illi. contra vates sic reddidit ore :
 Dura quidem fari, nautæ, sed justa jubetis,
 Heu nunquam toto celatum tempore verum.
 Sumite (quid multis?) jamdudum sumite pœnas,
 Et caput invisum superis freta in horrida ponti
 Præcipitate viri : squamosos pascere pisces,
 Triste quidem dictu, sed factu tristius, atqui
 Hac demum ratione Deo, ventisque secundis
 Effugere, et portus fas est intrare quietos.
 Quippe vetat vindex scelerum Rhamnusia, Jonas

Qua vehitur, superum Jonas contemptor, et æqui,
 Rectos in portum cursus tenuisse carinam.
 Me sine, non mecum, portus tangetis amicos.
 Apporto mecum, mecum deporto procellas.
 Hæc ego tam certo novi, mihi credite nautæ,
 Quam scio me patris juga detrectasse supremi.
 Hæc ait, et presso Jonas obmutuit ore.
 At trepidis nautis factum crudele videri.
 Ipse gubernator primus parere recusat.
 Humanane anima præ lucis amore litemus ?
 Tantane nos teneat vivendi dira cupido ?
 Non ita : quin potius terram repetamus, et illic
 Ponderet letali navem, sine morte, levemus.
 Sic fati, validis insistunt tundere remis
 [10] Æquor, et adversis obsistere fortiter undis.
 Sed non obniti, nec tantum tendere contra
 Sufficiunt, superant venti, pugnantque procellæ
 Acrius, adverso sudatur numine frustra.
 Heu quid agant, jaciantne virum, miserabile visu,
 In tumidos fluctus, et quærant morte salutem ?
 An potius pereant una cum authore malorum ?
 Unius at leto multos evadere præstat.
 Hæc dubiis tandem potior sententia visa est.
 Multa prius summi testantur numina patris.
 O pater omnipotens, rerum moderator, et autor,
 Quem res nulla fugit, quem non est fallere cuiquam,
 Tu scis invitos, tu scis accedere tristes :
 Triste ministerium, sed cogit dura mali vis :
 Et solum mortem, quam multos, præstat obire.
 Ne nos ad pœnas, ne quæ sumus optime rerum
 Poscito, si salsis hominem demittimus undis.
 Hæc via sola patet servandæ lucis amoenæ.
 Sic fati, manibus vatem cunctantibus altas
 Demergunt in aquas, subitoque agitata quiescunt
 Æquora, diffugiunt nubes, solisque reducunt
 Lumen, et aurato cœlum splendore renidet.
 Ac veluti si quis deprensi criminis autor
 Alterius tectum subeat, tutosque recessus
 Quærat, eum populus magno clamore sequatur,

- [11] Jamque faces tectis, et saxa volantia portis
 Injiciat, subitum casum, subitumque minando
 Omnibus exitium, paries quos continet ille,
 Si poenæ invisum caput objectare recuset :
 Tum si dedatur populo, quem flagitat unum,
 Unius ob poenas ardens cito turba quiescat.
 Aut cum flamma vorax patulum comprehendit ahenum,
 Intus aquæ fervent, nec se capit unda, sed extra
 Exilit : at si tum fundatur frigida lymphæ
 In medium, fervor citius dicto ille quiescat.
 Sic maris inflati cuncti cecidere fragores,
 Navis ut infesti relevata est pondere vatis.
 Obstupuere viri confestim, strata silere
 Æquora : mirantur, magno non absque timore,
 Illius immensas vires, qui vasta movere,
 Motaque tam subito potuit cohibere profunda.
 Ergo quassatam ventis ad littora rite
 Advertunt navem, tempestatumque potenti
 Sacra ferunt, animos testantia munera gratos,
 Et positis epulis in sicca operantur arena,
 Votaque cœlicolis faciunt pro luce recepta.
 Interea Jonas pelago mandatus avaro,
 Prosperius leto nil quod speraret habebat.
 Hic me cœlicolæ vestro munite favore,
 Utque fidem verum faciat mortalibus ægris
- [12] Efficite, et vires ad magna adjungite magnas.
 Est salsis in aquis piscis balæna tremendus,
 Monstrum horrendum, ingens, cui quovis robore tergus
 Durius armatur squamis, quæ conciliatæ
 Instar scutorum inter se compagibus arctis,
 Nulla vi valeant, non ipso fulmine solui.
 Fronte micant oculi media, duo sidera credas,
 Quale micat solis præcedens lucifer ortum.
 Rari fluctivomo dentes clauduntur in ore,
 Qui teneant aditum, quali munimine portas
 Cancellis clausas, et ferro sæpe videmus.
 Faucibus et patulis efflatur torrida flamma.
 Naribus e geminis exhalat fumus in auras :
 Non aliter, quam cum patulo suggestus aheni

Ignis edax urget latices, et fomite multo
 Accensus costas diverberat, æstuat unda,
 Spumasque, et nigrum jacet irrequieta vaporem.
 Horrida colla tument, nullo lassanda labore.
 Membra rigent, nullis obnoxia viribus : ossa
 Inter se compacta, trabes non arctius hærent,
 Robore quæ portant invicto tecta domorum.
 In media monstri membrorum mole riget cor,
 Durius incude, et scopulo compactius alto.
 Non illum validi juvenes, non lædere tela,
 Quæ multa excudit mortales cura laboris,
 [13] Evaleant : ferrum juxta, stipulamque refringat.
 Quin mare multivium, magno se corpore vertens,
 Fervefacit, motusque imo ciet æquora fundo.
 Et sternit scopulos, et spargit fluctibus auras.
 Non illo majus monstrum, qui condidit orbem,
 Edidit in lucem : non corpore fortius, aut par.
 Piscis hic in magno sese versare suetus
 Oceano, medium penetrat quandoque per æquor,
 Inter et Europæ fines, Asiæque vagatur.
 Ut tum marmoreum spirans immane per æquor,
 Instar montis habens, montes trudebat aquarum.
 Cujus ubi Jonas patulum conspexit hiatus,
 Ut videt, ut gelidis terrore rigescit in undis.
 At monstrum, quod in hos prudens adduxerat usus
 Arbiter, atque pater rerum, dum sorbet aperto
 Ore salum, si quam valeat deprendere prædam,
 Haurit Amittæi natum (mirabile dictu)
 Perque avidas fauces vastam demittit in alvum,
 Illæsum : veluti si quis cum jure minutum
 Devoret in magna jactatum lance legumen.
 Ut primum est lapsus monstri deformum in antrum
 Ingens, horrendum, magni sine lumine solis,
 Tum vero visus vasto telluris hiatus
 Ad tristes umbras, Erebi que nigrantia regna
 Devenisse sibi, damnatus nocte perenni :
 [14] Tres illic noctes, totidem sine lumine soles,
 Inter frustra jacens, interque fluentia tabo
 Ossa putri, quæ multa tetra condebat in alvo,

Squamigeras cogens immanis bellua prædas,
 Delituit, dubius seu sese crederet auras
 Carpere vitales, et adhuc in corpore clausum :
 Seu manes inter, vitæque jacere carentes,
 Et nihil esse, nisi simulachrum corporis expers.
 Tertia sed postquam tenebras aurora fugavit,
 Et caput ostendit nimbo vestita rosarum,
 Ad sese rediit vates, sensimque pusillam
 Spem fovet, et revocat solitas in pectora vires.
 Ut cum floriferas penetrabile frigus adussit
 Herbas, et calamos gelidis siccavit in agris,
 Tum si purpureus nascentis tempore veris
 Incipiat radiis propioribus arva fovere
 Sol, pigroque gelu concretas solvere glebas,
 Pandit terra sinus, gremiumque recludit in herbas
 Paulatim, lætæque refert renovata virorem.
 Aut cum picta legens solerti prata labore
 Sedula apes, pluviis austris oppressa, cadente
 Obruitur nimbo, exanimique simillima torpet :
 Tum si lætifico sudo concesserit imber,
 Paulatim tepefacta tuis nitidissime Titan
 Motat se radiis, viresque resumit ademptas.
 [15] Non aliter Jonas, postquam persensit in imo
 Pectore vim superum melius sperare docentem,
 Emicat, autoremque boni, fontemque salutis
 Talibus aggreditur fidenti pectore dictis :
 Omnipotens genitor, rerum cui summa potestas
 Jam desperatam præsens revocare salutem,
 Te voco, te dubiis supplex in rebus adoro,
 Et querulo faciles aures clamore fatigo.
 Da mihi te talem, qualis discrimine summo
 Esse soles, veris ubi compellare querelis.
 Tu me piscoso mersasti juste profundo,
 Inque caput hoc unum miseri (miserabile dictu)
 Vertisti, effusis irarum sævus habenis.
 Et nunc pontivagi tenebrosa piscis in alvo
 Abditus, ignotas infelix portor in oras :
 Aut ego velivoli per inhospita terga volutor
 Euxini, aut præceps sub tartara deprimor atra,

Tartara siderei radii impervia solis,
 Luctus ubi, curæque catenatique dolores,
 Et labor, et longi cubat inclementia leti.
 Quo me cunque vehit monstrum deforme per undas,
 Sive petit fundum gravidum, siditque sub ima
 Æquora : seu fluctus tergo supereminet atros :
 Sive petit montes : medio seu gurgite fertur :
 [16] Sive ortum solis, seu sera cubilia spectat :
 Sive notum pluvium, borea seu frigida regna :
 Non possum non esse miser, superumque parenti
 Invisus, cum me solum, quæ sunt data cunctis,
 Quattuor immensi fugiant primordia mundi.
 Nil tam vulgare est, cujus pars ulla relicta
 Sit mihi. Nam quid tam totum commune per orbe,
 Quam flatus vivis ? Quam tellus lumine cassis ?
 Ejectis littus ? rapidum mare fluctibus actis ?
 Ast ego sic vivo, dum possum, ducere ut auras
 De cœlo nequeam : sic fungar luce suprema,
 Ut mea frugiferam non tangant ossa parentem :
 Sic undis agitor, ut nullis abluar undis :
 Sic tandem ejiciar, ut nec dent saxa quietem.
 Et speres Jona finem miserande malorum
 Præterea, aut sacri visurum altaria templi ?
 Scilicet omnipotens toto te corde perosus,
 Te, cui quicquid habet rerum natura, negavit,
 Servet, et amissæ reddat tibi munera vitæ.
 Quid loqueris Jona ? quæ te dementia cepit ?
 Parce malos homines imitari velle, salutem
 Desperando, quasi sit debilis omnipotentis
 Dexteræ, vel summi elementia perdita cœli.
 Desperent alii, qui turpia facta catenant,
 Incurvi in terras, vitæ cœlestis inanes :
 [17] Non ego qui didici medio discrimine rerum
 A te, summe pater, pendere, tuumque manere
 Auxilium, ô nostros nunquam frustrate vocatus,
 Nunc ades, et mersis fer opem mitissime rebus,
 Perdere tu solus, solus servare potens es.
 Sic tibi multa mea ante aras cadet hostia dextra,
 Solventurque suo per me pia tempore vota,

Et tua laus Jonæ semper celebrabitur ore.
 Sic ait, et lucem certa spe præcipit almam,
 Nec superum precibus pulsavit inanibus aulam.
 Tempus erat, quo nox tardis invecta quadrigis
 Cesserat, et rebus varios aurora colores
 Reddiderat : nitido terras lætissimus ore
 Sol illustrabat, radiisque tepentibus undas
 Mulcebat tremulas, amissaque gaudia mundo
 Reddebat : volucres certatim, luce recepta,
 Dulcia per virides iterabant carmina ramos.
 Piscis (nanque pater reparabilis arbiter orbis
 Jusserat) advertit terræ, siccoque potitus
 Undivomas pandit fauces, redditque fidelis
 Custos, depositum jussus, vatemque sub auras
 Evomit, et bibulis illæsum exponit arenis.
 Quis tibi tunc animus Jona, quæ gaudia menti ?
 Quasve dabas tanto cœli pro munere voces ?
 Cum gelidi nigro piscis revolutus ab antro,
 [18] Amissi rursus cœli convexa videres,
 Solis et auricomi facie fruereris amica,
 Et matutina pictarum voce volucrum ?
 Arbiter omnipotens rerum, quis dicere nomen,
 Quisve tuas possit laudes æquare loquendo ?
 Tu cœli magnos orbis, et lucida torques
 Sidera, composito semper currentia motu.
 Te tellus, pontusque tremit : tu dira corusca
 Fulmina moliris dextra, nimbosque, notosque
 Increpitans agitas, tempestatesque cœrces.
 Te fœdi proceres, erebique nigrantia regna,
 Horrescunt : tibi mors dominatrix ultima parat,
 Jussaque quas hausit vitas in corpora reddit.
 Ergo ubi jam sese vesci vitalibus auris
 Sensit, et egressum cæcæ formidinis aula,
 Non secus obstupuit, quam si reddiisset in alvum
 Matris, et æthereas rursus venisset in auras.
 Interea supera missus de parte minister
 Venerat, et liquidum tranarat præpete penna,
 Et tali vatem compellat voce morantem :
 Nunc etiam dubitas Jona, nec jussa capessis ?

An nondum justas sensisti numinis iras ?
 Ipse sator rerum tibi me demittit Olympo,
 Qui te servavit, tenebris quem texerat idem :
 Ipsius esse puta, quæ nunc tibi verba reporto.
 [19] I, pete (*sic*) turrigeris præcinctam mœnibus urbem,
 In quam pœnituit jussum renuisse venire,
 Fidenterque Dei mandata priora refero.
 Hæc ait, et tenui sublatus nube recessit.
 Tum demum Jonas superis parere periclo
 Edoctus tanto, non mollia jussa capessit,
 Mortalemque jubet cœlo cessisse timorem.
 Ergo iter instaurat, vitataque vadit in arva.
 Urbs antiqua fuit, quondam Babylone profectus
 Assur in Assyria magno molimine struxit,
 Metatusque solum quantum circumdare posset
 Plus quadringentis stadiis immania duro
 Mœnia fundavit saxo, quæ posset obire
 Vix iter emensus tridui, erexitque sub auras
 Alta pedes centum, quorum fastigia ternis
 Calcarent juncti plaustris impune jugales.
 Quæ ter quingentis aptavit turribus altis.
 Urbs armis olim, claris et fœta triumphis.
 Urbs opibus fœlix, et divitis ubere glebæ.
 Sed postquam longa compositi pace quierunt,
 Immensas et opes comportavere beati,
 Quos non perdiderant hostes, non acta sub armis
 Secula, non sævi series longissima belli,
 Perdidit imbellis non longo tempore luxus.
 Usqueadeo levius quam copia, fertur egestas.
 [20] Ergo mollitiesque parumque virilia facta,
 Et Veneris fomes convivia lauta nefandæ,
 Et vis, et propria ruitura superbia mole,
 Regnabant passim vicos impune per omnes.
 Non vir, non mulier, non obsita tempora canis,
 Non viridis tenera floescens pube inventas,
 Non liber, servusve bonum jus norat, et æquum.
 Omnes præcipientesve sana libido ferebat,
 Ignarosque Dei, contemptoresque bonorum.
 Huic sese Jonas, non mollis nuncius, urbi

Intulit, et longa vicorum ambage per unam
 Progressus lucem, vidit fervere nefandis
 Omnia flagitiis, securaque pectora recti.
 Tum vero factis pectus concussus iniquis,
 Ingenti magnam proclamat voce per urbem,
 Clamat, et haud multis verbis mala multa minatur :
 O Ninive, nimium jam nobilitata piandis
 Flagitiis, quibus es summo quoque cognita cœlo,
 Nunc securam quidem gaudes, et perdita luxu
 Diffuis, ô vitæ, rerumque ignara tuarum.
 Sed mea vos cives, memori mea pectore dicta
 Condite, quem misit rerum pater, atque hominum fons.
 Cum nitidus terras decies quater ambierit sol,
 Atque superba Ninus fundo ruet omnis ab imo.
 Hæc ubi fatidico vates est ore locutus,
 [21] Diditur hæc totam confestim fama per urbem.
 Continuo trepidare viri, summique timere
 Vim patris, et meritas tam turpi crimine pœnas.
 Ergo continuo fastum domitura procacem
 Omnibus indicunt rigido jejunia jussu.
 Sordida tum fœdis induti corpora saccis,
 Immundoque caput conspersi pulvere, proni
 Ostendunt animos vitæ melioris aventes,
 Suppliciterque Deum veniam, pacemque precantur :
 Matres, atque viri pariter, juvenesque senesque
 Hoc faciunt : urgent extrema pericula cunctos.
 Quæ res ut vacuas regis pervenit ad aures,
 Commotus tantis superum monitisque, minisque,
 Protinus e solio, gemmis, auroque coruscus,
 Desilit, et gravidam baccis, operisque tiaram
 Barbarici specimen, capiti deturbat, et omnem
 Excutit ornatum, regalis signa decoris.
 Tum crines flavos lugubri pulvere fœdat,
 Et centone caput vili velatus honestum,
 Jam non elatus, jam prono corpore supplex,
 Abjectusque jacet, regemque nitentis Olympi
 Agnoscit dominum, regnatoremque salutem,
 Et rogat incensa facilis desistat ab ira.
 Quinetiam tota clamari jussit in urbe

- [22] Nomine cum procerum, tum regis, neve Lyæi Munera
 Munera neu Cereris cuiquam gustare liceret.
 Neve famemve, sitimve ullo restinguere pacto.
 Non illis quisquam jejunia dicta diebus
 Solvet, vel juvenis, vel longo debitis ævo.
 Lactea nec teneræ plorantibus ubera natis
 Indulsere suis matres, pappamve dederunt.
 Quin ipsæ pecudes etiam rationis egentes
 Testari jussæ luctus, et fomite vitæ
 Privatæ solito, jejunia mœsta doceri.
 Tum nec equi dulcem lotum, nec gramina tauri,
 Nec virgulta capræ, nec glauca salicta bidentes,
 Nec duram tardus cynaram gustavit asellus,
 Nec mammas agni suxerunt lacte tumentes.
 Omnia lugebant, lapides mœrere putares.
 Omnia ploratus, et fœminei ululatus
 Mœnia miscebant : omnes uno ore rogabant
 Factorum veniam passis ad sidera palmis,
 Et se spondebant meliores deinde futuros.
 O pater, ô terræ regnator, et ætheris alti,
 Si genus humanum dignas vis pandere pœnas
 Criminibus, summo nihil ut de jure remittas,
 Quem non fulmineo perdet tua dextera telo ?
 Ista sed immensum clementia nota per orbem
 Desperare vetat, parvis tu crimina magna
 Suppliciis mulctas, idem proluxa pusillæ
 [23] Præmia virtuti reddis : tu mitis, et idem
 Placari facilis, pernitem tardus ad iram.
 Parce pater leto ferali facta piare
 Impia : parce neci totam demittere gentem.
 Sic tua nos mundum vulgemus facta per omnem,
 Et servatoris feriamus sidera laude.
 Sic quascunque vagus rapido circumluit æstu
 Oras Oceanus, metuant tua numina gentes :
 Et te terrarum, quantus patet, orbis adoret.
 Sic omnes precibus poscebant rite salutem.
 Pellitur ex templo mutata fastus ab urbe.
 Pro molli luxu, pro debacchante rapina,
 Vita suo contenta subit, moresque modesti.

Desidiam mollem, et veneris mala gaudia foedæ,
 Pellit sobrietas, et mens intenta labori.
 Nec mora, jam liceat renovatos cernere cives.
 Ac veluti si quis videat viridantibus agrum
 Herbis vestitum, nitido splendescere cultu,
 Quem modo præteriens incultum vidit, et hirtis
 Sentibus horrentem, stupeat, gressumque viator
 Sistet, et ipse suis oculis vix credat eundem
 Esse locum, dum pro spinis, tribulisque hirsutis,
 Grandia venturas conspexit in horrea messes.
 Non secus ante bonis ebriam, dulcique sepultam
 Fortuna Niniven si qui vidisset, et alta
 [24] Errorum immersam caligine, præcipitemque,
 Admirabundus vix credere posset eandem,
 Cum cives alios, diversaque facta videret.
 Tantum terrificæ vatis potuere loquelæ.
 Hac pater omnipotens placatus relligione,
 Luctificas ponit, quas jam conceperat, iras.
 Quosque modo prorsum voluit delere, quietum
 Accipit in cives animum, mentemque benignam,
 Et lachrymis victus facilis peccata remittit.
 Ut cum rex urbi despectus dira minatur
 Supplicia, et læcto molitur milite bellum,
 Jamque iter invasit justa bene percitus ira.
 Tum si oratores veniam, pacemque precantes
 Occurrant, ultro missi, clavesque reclusæ
 Prætendant urbis, obtestenturque voluti
 Ante pedes regis, dubitat, paulumque moratus
 Flectitur, et venia factos dignatur amicos.
 Aut cum sæva parens intentat verbera nato,
 Si genua amplectens supplex, et tristia densis
 Ora rigans lachrymis, per patris amabile nomen
 Oret, ut haud posthac facturo talia parcat,
 Neu velit in natum procedere longius iras :
 Frangitur, et dulci genitor lenitus amore,
 Exarmatque manum ferulis, noxamque remittit.
 Usque adeo blanda tristis prece vincitur ira.
 [25] At non hæc Jonæ placuit mutatio rerum.
 Indolet, et sese nequicquam dira minatum,

Non ullas pœnas pensuræ funera genti,
 Angitur, et tumido rumpit de pectore voces.
 Conditor omnipotens, cui gens hebræa sub arctis
 Legibus, unanimis divinos libat honores,
 Tu ne regis terras, et justis omnia pensas
 Lancibus ? an frustra te fulminis horrida tela
 Vibrantem horremus, cassæque per alta coruscant
 Flammæ, quæ pavidos spernendo murmure terrent ?
 Gens inimica tibi, gens commaculata nefandis
 Flagitiis, fuso gens sanguine tincta bonorum,
 Vivet, et o superi, felix, securaque vivet ?
 Et nunc ille tuo jussu suprema minatus
 Invisæ stirpi, mortis discrimine parvo,
 Scilicet egregius vates, irrisus abibo,
 Falsaque pro veris, pro certis dixero vana.
 Et quisquam factis formidet lædere numen
 Præterea, aut sanctis exornet honoribus aras ?
 Nimirum in patriæ charis hæc omnia vidi
 Finibus, atque animo præcepi cuncta notante :
 Marmoreumque ideo, fugiens tua jussa, per æquor
 Exibam, Cilicum vitam ducturus in orbe,
 Atque tuis ripis novus accola Cydne futurus.
 Quippe sciebam te, clemens ut es, atque benignus,
 [26] Parcere supplicibus, quam sontes plectere, malle :
 Passuramque nihil Niniven capitale videbam.
 Ergo quid supero, telluris inutile pondus ?
 Quid moror in terris ? ô tu, qui totius orbis
 Arbiter es, cujus rutilant vaga sidera nutu,
 Vel me fulmineo correptum dejice telo
 Ad tristes Erebi manes, noctemque profundam :
 Vel quocunque modo conjunge silentibus umbris.
 Quæ libet invisæ vita jucundior est mors.
 Hæc ait indignans, et se citus extulit urbe,
 Et qua sol oriens obliqua mœnia luce
 Detegit, et longe turres ostendit apertas,
 Urbis in aspectu lentis umbracula textit
 Frondibus, et rapido sese defendit ab æstu,
 Expectatque dies aliquot, finemque requirit
 Anxius, aspiciens urbem, quam culmine summo

Præcipitare cupit, celeremque videre ruinam.
 Demens : ut si qui malit cum vulnere vitam
 Tolli, quam tetrum depelli corpore morbum,
 Interea rapido foliis arentibus æstu,
 Altus inoffenso penetrabat lumine Titan,
 Et tremulo vatem male tectum ardore coquebat.
 Frugiferens sed enim tellus, parere potenti
 Jussa Deo, vati viridantem texuit umbram.
 Est foliis amplis, genibusque curcubira crebris,
 [27] Herba brevi pernix diffundere tempore ramos.
 Verum debilis est, et ni sit fulva, caduco
 Procumbit culmo, nec in aëra surgit apertum.
 Hæc eadem sese, sensim rimata quod usquam est,
 Erigit, et teneris quicquid nanciscitur, arcte
 Claviculis, tanquam manibus, complectitur, atque
 Multiplici lapsu huc, illuc, prodiga, serpens
 Luxuriat, partesque proterva vagatur in omnes.
 Hanc tum foetifica cœli vi docta potentis
 Omniparens tellus, noctis mollita tepore,
 Et matutino lentescens semine roris,
 Extulit, et vacuas herbam protusit in auras,
 Pauper ubi miseri surgebat pergula Jonæ.
 Quæ manibus sensim nitens, totumque pererrans
 Ambitiosa locum, cameræ fastigia raræ
 Ascensu superat : tum toto culmine victrix
 Expatiata, vagis foliis contexuit umbram,
 Et nimium vatis defendit vertice solem.
 Cujus ubi sensit dulci recreatus amictu,
 Non secus est tacito gavisus pectore, quam qui
 Ancipiti fessus certamine, vidit amicum
 Auxilium, sociasque manus succurrere missas.
 Tanta sed exiguum tenuerunt gaudia cursum.
 Nam cum prima novo lustraret lumine terras
 Picta rosis digitos croceis aurora decoros,
 [28] Exiguus vermis (nam sic pater ipse volebat)
 Assiduis herbæ nodosum dentibus usque
 Corrodit caulem, qua radix incipit, et qua
 Hæret adhuc matri foliosa curcubita terræ.
 Hinc jam sole novo terras ardore coquente,

Aruit herba cito, noto privata liquore,
 Et miserum grato spoliavit tegmine vatem.
 Dein levibus pennis Nabathæo missus ab orbe,
 Vertice de Jonæ siccam rapit improbus herbam,
 Et rapidis nudum radiis caput objicit Eurus.
 Impatiens, gelido nudatus tegmine, Jonas,
 Æstuat, et Phœbi cancro propioris anhelis
 Excoquitur flammis, et languida membra volutat,
 Nunc latus obvertens dextrum, nunc ille sinistrum,
 Nunc dorso excipiens Titanis flammea tela :
 Non secus ac ve rubus caro circumjecta, voraces
 Vertitur ad flammam, et sudat tosta liquorem.
 Qua postquam sese cernit gravitate malorum
 Implicitum, fervet, stomachosque indulget, et iræ :
 Et qui luctifico tumulatus piscis in antro,
 Antro quo non est Titanum tristior aula,
 Orarat superos jucundæ munera vitæ,
 Optat tantillum leto finire dolorem.
 Quem simul ac tali pater anxietate teneri
 Sensit, de cœlo sic est affarier orsus :
 [29] Siccine te vates amussa cucurbita torquet ?
 An te digna facis ? reddit cui talia vates :
 Digna ne me faciam quæris ? ne tu mihi dexter
 Adsis, digna nisi res est hæc mortis amore.
 Sic ait iratus, Genitor cui talibus infit :
 Ergo te moveat correpta cucurbita vento ?
 Herba tuo nullo nec culta, nec aucta labore,
 Quam nox una tibi peperit, nox abstulit una ?
 Me nihil ampla Ninus moveat, quar mœnibus ambit
 Millia bis capitum decies, et millia centum,
 Amplius aut vilis turbæ, ignaræque nocendi,
 Ignaræque manum lævam dignoscere dextra ?
 Ut taceam pecoris numerum, non abjiendi.
 Et tantæ gentis suades, male sane, ruinam ?

Dialogorum sacrorum, Libri quatuor :

Autore Sebastiano Castellione : qui Opus recognovit : Argumenta singulis Dialogis præposuit, et Sententias subjectit : ex quibus pueri discant officium, hoc est, quid imitandum sit, aut declinandum.

Accesserunt nunc postremo ejusdem S. C. marginales Annotationes.

Basileæ, per Joannem Oporinum, 1565

Argumentum : vexati tempestate nautæ, invocatis frustra diis, factaque jactura, Jonam vatem excitant, qui in navi dormiebat. Deinde sorte jacta, ut eum sontem et tempestatis causam esse deprehenderunt, jaciunt in mare, ipsiusmet admonitu. Ita pacatur tempestas.

Nauclerus, Nautæ, Jonas.

Pro Iupiter, quanta sævit tempestas ? Quanti undarum fluctus nostram navem undique verberant ? Dicas Neptunum et Æolum, omnesque adeo deos in nostram conjuravisse perniciem. Ne sævi tantopere aquarum præpotens Neptune : ne eos perde, qui se tuæ fidei mandaverunt. Tuque ô Æole, cui potestatem in ventos dedit Iupiter, cohibe [147] tam effrenatum eorum impetum¹.

NAUT. Dii immortales, quid habetis in animo ? huccine venisse nos, ut tam misere periremus : Parcite, quæsumus parcite : nos vobis sacra faciemus, tibi Neptune taurum, vobis agnam Tempestates mac-tabimus : tantum liceat hinc salvis evadere.

AL. Ledæ proles Castor & Pollux, amica nautis sidera, obsecro vestram fidem, reddite nobis mare tranquillum, reddite amicam cœli serenitatem.

NAUC. Nihil agimus, video tam surdi sunt dii, quam est ipsum mare.

NAUT. Quid superest ?

NAUC. Ut jacturam faciamus.

NAUT. Durum.

NAUC. Sed necessarium : extremo autem malo extremum adhibendum est remedium. atque utinam vel sic evadere liceat. Festinate, dejiciamus has merces. Praestat rem perdere, spem aliquam retinentes,

¹ Cette première parole n'est attribuée à aucun des devisants. Nous y lisons une intervention des marins.

quam cum re certum exitium expectare. Vos ô cœli marisque potentes dii, este saltem contenti hac nostra miseria : quid mortem insuper minamini ? Hei mihi, magis magisque furiunt venti, ingravescit tempestas : irritantur superi, non placantur, nostris votis et precibus. Quo jam, quo me vertam ? Erat hic nescio quis peregrinus. Ubi nunc est ?

NAUT. Dormit ad infimum navis latus.

NAUC. O supinam securitatem. Heus, heus peregrine, quem tandem dormiendi modum facies ? potes in tanto periculo indulgere somno ? quin tu surgis, et [148] tuum in hoc temporis articulo Deum invocas : si quis forte superum existat, qui hoc a nobis malum avertat, et præsens auxilium ferat ?

NAUT. Frustra laboramus : causa tanti mali perscrutanda est¹. Oportet aliquem hic adesse, qui se nefario aliquo scelere obstrinxerit, propter quem tantopere irascantur dii. Sortiendum est quis sit in causa.

NAUC. Placet : ducantur sortes. Euge, sors hunc peregrinum designat. Vides te peregrine accusari. Dic quæso, unde tantum in nos malum ortum sit, quod vitæ genus sequaris, unde et quo eas, cujas sis, et qua gente natus.

J. Jamjam nullum superest effugium : teneor manifesto, ô inevitabilem Dei potentiam. Ego sum Hebræus, Jovæ cœlestis Dei cultor, qui et mare et terram fabricatus est. Is me Niniven ire iusserat, ut eum populum, ocio et luxu diffluentem, et perditum, mea admonitione ad meliorem frugem, et saniolem vitæ rationem deducerem. Cuius ego muneris tristiciam defugiens, statueram Tarsum in Ciliciam me conferre, et ejus conspectum evitare, cujus oculis omnia sunt subjecta.

N. Perimus funditus. Inscite prorsum homo, et male abs te factum. Sed postquam factum quod est, infectum fieri non potest, quid tibi nunc censes faciamus, ut² placatiore mari utamur, quod vehementius semper agitari vides ?

J. Vos vero me in mare deturbetis, si id³ sedatum vultis. Nam certo scio ego, mea unius [149] causa vos hac tam vehementi tempestate afflicti.

N⁴. Avertant superi, ut tua morte salutem nostræ consulamus Non faciemus. Agite viri fortes, incumbamus remis, conemur ad terram appellere. Eia. adhibete summas vires : eia rumpamus hos fluctus. O

1 Manchette : « Intelligebant nimirum, tempestates interdum ob hominum peccata excitari. »

2 Manchette : « Placatus sit nobis mare ».

3 Manchette : « Sedari ».

4 Manchette : « Magna est, ut in fero alioquin hominum genere, humanitas. »

rem miseram : crescit assidue malum, nulla ratione terram possumus attingere.

J. Frustra sudatis, invito Deo.

N. Quid ergo est, te ne nos in mare ?

J. Nisi mavultis mecum una perire.

N. O desperatissimum perfugium : sed tamen satius est, te solum, quam nobiscum interire. Faciendum est, socii : nulla alia ad evadendum via est, video. Efferatur mare, rumpitur navis, mors nobis versatur ob oculos. Demergamus eum. Obsecramus te Jova, ne pereamus ob hujus viri mortem : neve a nobis pœnas sanguinis ejus expetas. Vides nos necessitate impulsos facere, et tu omnia tuo arbitratu moderaris : jaciatur. O rem admirabilem ? videtis ut subito sedata sit tempestas, eo dejecto ? Videtis mare sic tranquillum, ut nunquam tranquillius ? Agnosco, agnosco ego Jovæ potestatem immensam. is nimirum Deus est, cæteri nequicquam precibus interpellantur. Uni uni debetur gratia, uni itaque sacra vota que faciamus.

SENTENTIA :

Frustra implorantur falsa numina, sæviente vero numine. Deum effugere nec terra [150] nec mari possis. Cum sontibus navigare, hoc est versari, noxium est. Manente causa pœnæ, manet pœna.